



# **Disputatio juridica trigesima-nona de testamentis ordinandis & infirmandis**

<https://hdl.handle.net/1874/340997>

DISPUTATIO JURIDICA  
 TRIGESIMA-NONA  
 DE  
**TESTAMENTIS**  
 ordinandis & infirmandis.

A D  
 Tit. 1. 2. 3. & 4. Lib. 28. Pandectar.

Q U A M  
 FAVENTE DEO OPT: MAX.

SUB PRÆSIDIO  
 Clarissimi Consultiſſimique Viri,

D. CYPRIANI REGNERI ab OOSTERGA,  
 J.U.D. nec non ejuſdem Facult. in Illuſtri Traject. Acad.  
 Profeſſoris Pandect. & p. t. Rectoris Magnifici.

Publicè defendere conabitur

GEORGIUS CROOCK, Amſtel.-Batav.

Ad diem ~~22 Martij~~ horâ locoque ſolitis. *id Aprilis*



TRAJECTI AD RHENUM,  
 TYPIS *Gisberti à Zyll*, & *Theodori ab Ackersdijck*,

CL O I O C L I.

*Reverendo, Spectabili, ac Prudenti Viro*

D. ABRAHAMO CROOCK,  
Mercatori apud Amstelodamenses vigilantissimo,  
Parenti meo, quoad vivam, Filiali amore pro-  
sequendo.

NEC NON

*Clarissimo Consultissimoque Viro*

D. CYPRIANO REGNERI ab OOSTERGA,  
J. U. D. & in almâ Ultrajectinâ Academiâ,  
ejusdem Facultatis Professori dignissimo, &  
P. T. RECTORI MAGNIFICO, Præsidi &  
Præceptori meo, summo honore prosequendo.

*Hanc disputationem Iuridicam in debiti & grati  
animi signum,*

Dedico, offero

GEORGIUS CROOCK,  
*Respond.*



DISPUTATIO JURIDICA  
TRIGESIMA-NONA  
DE  
TESTAMENTIS  
ordinandis & infirmandis.

A D

Tit. 1. 2. 3. & 4. Lib. 28. Pandectar.

T H E S I S I.



**A**d l. 1. tit. 1. Lib. 28. quæritur, an & quomodo testamentum ex eo appelletur, quod sit testatio mentis? Sed quoniam de hac quæstiuncula dixi in *disp. ad pr. Inst. h. t.* remitto Studiosos ad *d. disp. & Treutl. disp. 10. vol. 2. thes. 1. lit. a. & ibi Bacchov.* Sed rectene definitur in *d. l. 1.*? Aff: *d. l. 1.* modò per justam sententiam intelligamus inprimis heredis institutionem §. 34. *Inst. de legat.* quo intellectu facile testamentum distinguitur à codicillis. *l. 10. de jure codicill.* Diff. vide apud *Treutl. d. thes. 1. lit. c. & seqq. & ibi Bacchov.* An & quomodo testamentum coactum subsistat, significavi *ad tit. 2. Lib. 4. Adde Bus. ad h. l. 1. n. 3.*

*Ad l. 3.* quæritur, an jus publicum in *d. l.* dicatur publicum respectu causæ efficientis, ita ut nemo possit facere testamentum nisi jus publicum permittat? Aff: *d. l. 3. junct. l. 120. de v. s.* Diff. vide apud *Treutl. d. lit. c. & ibi Bacchov.* An ergo testamenti factio non est introducta jure gent.? Non est. *ad. ll.* Diff. vide apud *Treutl. d. thes. 1. lit. b. & ibi Bacchov. & in d. disp. nostr. ad s. 1. 2. & 3. Inst. h. t. Bus. ad d. l. 1.* Unde & hoc sequitur, quod testamenti factio non edicti prohibitorii, sed permissorii sit. *d. l. 3.* Diff. *Treutl. thes. 2. lit. b.* quem sequitur *Bacchov. d. lit. b.* An & quomodo statutum, quod testamenti factionem

A 2

impedit,

impedit, valeat, collige ex jam dictis, & *dd. DD. sup. allegatis.*

Ad l. 5. quæritur, an testamentum impuberis ad pias causas factum valeat? Neg: & de jure Romano & Canonico. Quinimo nec statutum valet, quod plane impuberi testandi facultatem concessit. Quoniam contra rei naturam seu rationem naturalem est, quod quis habeat potestatem testandi, quum necdum habeat iudicium. Quid de impubere, qui pubertati proximus & sagax est? Dixerim totum negotium propter naturam sui arbitrio iudicis committendum esse. Diff. vide apud *Trentl. thes. 3. lit. a. & ibi Bacchov. Autumn. in cens. Gall, ad d. l. 3.*

## II.

Ad l. 6. quæritur, an filiusfam. saltem in illis bonis habeat liberam testandi licentiam, in quibus pater non habet usumfructum? Neg: *d. l. 6.* Sed cum Moribus recte secus sit, ut dixi ad *tit. 12. Inst. Lib. 2.* frustra hic prolixus est *Bacchov. ad Trentl. d. thes. 2. lit. c.* & frustra quæritur, an saltem cum clausula codicillari donare mortis causa possit? an & quando opus sit consensus patris? an ipsi patri donare possit? Vide *Trentl. & Bacchov. d. loc. Bus. ad b. l. 6.*

Ad l. 7. quæritur, an Princeps ei, qui à natura surdus & mutus est, facultatem disponendi indulgere queat? Neg: sive de milite, sive de pagano loquamur, per ea, quæ dixi ad §. 2. *tit. 11. & ad §. 3. d. tit. 12. Inst.* Diff. vide *ibid.* apud *Trentl. thes. 3. lit. e. & thes. 7. lit. f. & ibi Bacchov.* Sed quid de cæco, teneturne, ille legatis præmittere heredis institutionem? Neg: §. 34. *Inst. de legat. junct. l. 24. C. h. t.* Diff. vide apud *Trentl. thes. 3. lit. f. & ibi Bacchov.* Sed habetne necesse disponere juxta l. 8. C. h. t. quando inter liberos testamentum condit? Neg: l. 21. §. 1. C. de testam. & *Auth. seqq. junct. arg. l. 8. de publ. in rem act.* Ad de nostr. disp. ad §. 4. d. lit. 12. *Inst.* Diff. vide apud *Trentl. d. lit. f. & ibi Bacchov.*

Ad l. 8. quæritur, an testamentum à Christiano captivo apud Turcas factum valeat? Aff: per ea quæ tradidi in *nostr. ad §. ult. Inst.*



*Inst. d. tit. 12. Diff. vide ibid. & apud Treutl. d. thes. 2. lit. f.*

Ad §. 1. d. l. 8. quæritur, an & hodie damnati ad ultimum supplicium testamentum facere prohibeantur? *Aff: d. §. 1. junct. arg. l. 27. C. de testam. & l. 32. §. ult. C. de appell.* Sed moribus rectius in plerisque locis cautum esse, probavi ad *d. §. ult. Inst. Diff. vide ibid. & apud Treutl. d. thes. 2. lit. h. & ibi Bacchov. Bus. ad d. l. 8. An & quomodo testari possint relegati, banniti, excommunicati, significavi ad l. 22. §. 5. D. mand. Adde Treutl. d. thes. 2. lit. h. & ibi Bacchov. Bus. ad d. l. 8. Quod l. II. de obsidibus inter Christianos non habeat locum, fatetur ipse Bacchov. ad Treutl. d. thes. 2. lit. g.*

### III.

Ad l. 16. pr. quæritur, an & quando monachi & alii clerici testamentum facere prohibiti censeatur? Sed quum istæ quæstiones moribus decisæ sint, teste *Bus. ad d. l. 6. & vix ulum in hisce Regionibus habeant, remitto Studiosos ad d. Bus. Treutl. d. thes. 2. lit. d. & ibi Bacchov.*

Ad §. 1. d. l. 16. quæritur, an testamentum legitime factum in casu dubio præsumatur conditum tempore lucidi intervalli? *Aff: arg. l. 25. de testam. milit. ubi voluntas testatoris ex ipso facto quoque declaratur. Et quidni à rationabili profectum videbitur, quod rationabile apparet? Diff. vide apud Treutl. thes. 3. lit. c. & ibi Bacchov.*

Ad l. 18. pr. quæritur, an & ille, qui revera & ethice prodigus non est, sententia tamen judicis talis declaratus, prohibitus intelligatur testamentum facere? *Neg: arg. l. 1. ex quib. caus. major. junctis nostr. ad l. 1. Ergo si debet restitui in integr. valebit ejus testamentum, licet morte præventus ante petitionem restit. mortuus sit. Regula æterni juris est, qui non est prodigus, non debet haberi prodigus. Adde not. nostr. ad §. 2. d. tit. 12. Inst. Diff. vide apud Treutl. d. thes. 3. lit. d. & ibi Bacchov.*

### IV.

Ad l. 20: pr. an & quando legatarius vel fideicommissarius particularis testis esse possit in testamento,

in quo ipsi legatum vel fideicommissum relictum est, vide & repete ex *nostr. ad §. 11. Inst. de testam. ordin. Treutl. thes. 4. lit. k. & ibi Bacchov. Autumn. ad l. 22. de testam.*

Ad §. 3. d. l. 20. quæritur, an à contrario sensu d. §. filius emancipatus in testamento patris testis esse queat? Sed & de hac quæstione dixi ad §. 9. *Inst. h. t.*

Ad §. 6. quæritur, an mulier saltem jure Canon. in testamento testis munere fungi possit? Sed frustra, quum jure Divino non distinguente admittatur. Frustra ergo hic ulterius quæritur, cur jure Romano in testamentis non potuerit esse testis. Item an in codicillis saltem testis adhiberi possit. Vide tamen, si lubet, *Treutl. d. thes. 4. lit. f. & ibi Bacchov.*

Ad §. 7. d. l. 20. quæritur, an & quando monachi possint esse testes in testamento? Sed monachos non agnoscimus. Quod Sacerdotes nostri possint esse testes, nemo in controversiam vocet. Vide tamen *Bacchov. ad Treutl. thes. 4. lit. 1.*

Ad l. 21. pr. & §. 2. quæritur, an jus Canon. in *c. cum esses. ext. de testam.* recte reprehendat jus Romanum, quod præcise in testamento 7. testes specialiter rogatos requirit. *d. pr. & §. 2. Aff:* per ea, quæ allegavi in *d. disp. ad §. 3. Inst. h. t.* Frustra ergo quæritur, an testamentum minus solenne saltem in foro conscientia obliget. Vide *Treutl. thes. 5. lit. a. & b. & ibi Bacchov.* Sed potestne quis heres institui solo nutu ad interrogationem alterius? *Aff:* si non de jure Civili, saltem Canon. vel in genere, modo per duos vel tres testes nutus probetur. Quod tamen maxime procedit, si testator jam ante aliis signis heredem indicasset, & propter morbum loqui impeditus fuisset. Vide *Rosbar. tit. 4. n. ult. de diff. jur. civil. & can.* Diff. vide apud *Bus. ad d. l. 21.* Sed oportetne testes vidisse testatorem? *Aff: l. 9. C. h. t.* Diff. vide, apud *Treutl. d. thes. 5. lit. c. & ibi Bacchov.*

Ad §. ult. quæritur, an contractus in testamento celebrari possit? Jure Romano non potest. *d. §. ult.* Sed hoc consistit in mera scrupulositate, ut probavi ad §. 1. *Inst. h. t.* Vide *Treutl. d. thes. 5. lit. b. & ibi Bacchov.*



Ad l. 22. §. 5. quæritur, an & quando alio instrumento testamentum signare liceat? Sed frustra, quia subsignatio non est in usu, sed subscriptio, magis tamen de utilitate quàm necessitate, ut dixi ad d. tit. Inst. Vide Treutl. d. thes. 5. lit. e. & ibi Bacchov.

Ad l. 29. an & quando clausula codicillaris operetur fidei commissum, dixi ad tit. de inoff. testam. Vide Busf. ad d. l. 29. & disp. nostr. ad §. 5. Inst. de ex heredit. liber. Sed concessa facultate testandi de feudo, censeturne dominum solitas solennitates remisisse? Minime. l. si quando 35. C. de inoff. testam. Diff. vide apud Treutl. d. thes. 4. lit. a. & ibi Bacchov. Sed restringiturne illa facultas ad testamentum primum? Neg: Ratio allegatur à Bacchov. d. loc. Diff. vide apud Treutl. & Bacchov. d. loc.

V.

Ad l. 1. & 2. tit. 2. quæritur, an pater sub cæteris exhereditatis etiam eos filios comprehendisse videatur, quos putabat mortuos esse? Sed frustra, quum jure novo nemo intelligatur exhereditatus, nisi nominatim, & causa expressa exhereditatus sit. Nov. 115. c. 3. Vide tamen Busf. ad d. l. 2.

Ad l. 4. & 5. quæritur, an jure novo posthumus exheredari possit? Neg: per ea, quæ dixi in d. disp. ad d. §. 5. Inst. Sed ventre in genere instituto, idem ne de eo dicendum, quod in d. l. 4. dicitur de posthumo? Aff: quia est eadem ratio, quam pluribus demonstrat. Busf. ad d. l. 4. Diff. vide apud Eund.

Ad l. 8. an & quomodo d. l. emendanda sit, hodie non curo, quum quæstio usum non habeat, ut patet ex dict. ad d. l. 4. & 5. Vide fis Busf. ad h. l. 8.

Ad l. 10. quæritur, an d. l. correctæ sit per l. ult. C. de posth. hered. atque ita correctæ, ut etiam de nepote accipi possit? Aff: d. l. ult. junct. l. 12. de R. I. Diff. vide apud Treutl. disp. 11. thes. 3. lit. d. & ibi Bacchov. Busf. ad d. l. 10. Zoef. ad h. t. n. 46. An Titius tertio primogenito substitutus, admittendus sit ad hereditatem filii, qui sine liberis discessit, significavi ad pr. Inst. de vulg. & pup. subst. disp. 10. thes. 6. Addo Busf. ad h. l. 10.

Ad l. 11. variæ à Busio proponantur quæstiones quæ alibi à nobis



nobis excusſæ ſunt puta, ad *tit. de inoff. teſtam. & ad tit. Inſt. de hered. qual.*

Ad l. 12. §. 1. dixi ad l. 12. de ſtatu homin. Ad l. 13. pr. an d. pr. ſit correctum aut iniquum vide in *Cenſ. Gall. Autum. ad d. pr.* An in §. 1. d. l. 13. emendatione opus ſit, quæſtione indignum eſt, quum ibi agatur de ſervis. vide tamen *Cujac. & Buſ. ad d. §.* Idem Buſ. contra Cujac. Alioſque DD. prolixus eſt in explicatione l. 14. h. t. Sed fruſtra, quum loquatur de exheredatione poſtumi, quæ jure novo teſtamentum nullum efficit, ut dixi ad l. 4. h. t.

Ad l. 16. quæritur, an & quomodo d. l. conciliari poſſit cum l. ventre 84. de adq. hered. Sed cum & hæc quæſtio uſum non habeat, ut latius dicam ad *tit. de bonor. poſſ.* remitto Studioſos ad *Treutl. d. diſp. 11. theſ. 2. lit. g. & ibi Bacchov. Buſ. ad d. l. 16.* Interim non video, quo pacto filius in d. l. 16. patri heres ſit ab inſteſt. ſi mortuus eſt ante conditionem poteſtativam impletam.

#### VI.

Ad l. 19. quæritur, an filius cum propter cauſas ſimiles tum gravioreſ iis, quæ in d. nov. 115. c. 3. enumerantur exheredari poſſit? Aff: per ea, quæ dixi ad d. §. 5. *Inſt. theſ. 10.*

Ad l. 29. §. 5. quæritur, an etiam nepos, qui in caſum mortis filii inſtitutus eſt, rumpat teſtamentum, ſi pater deportatus eſt? Neg: ſi non de jure Civili, ſaltem de hodierno, quo ſuitas ceſſat. Ratio eſt ex veriſimili voluntate teſtatoris, cui favendum eſt. Diff. vide apud *Buſ. ad d. §. 5.*

Ad §. 6. quæritur, an filius filii ex in inceſtu nati, an nepos ex filio ſpurio heres ab avo inſtitui poſſit? Sed de his alibi dixi. Vide d. diſp. theſ. 11. Diff. vide *ibid.* & apud *Buſ. ad d. §. 6.*

Ad §. 10. d. l. 29. quæritur, an illa verba: *ſi filius me vivo morietur*, indicant heredes inſtitutionem, an potius teſtamentum nullum ſit, quod filius ſit præteritus? Aff: poſterius per d. nov. 115. c. 3. Diff. vide apud *Buſ. ad d. §. & in d. noſtr. diſp. theſ. 2.* Sed debentur legata ex tali teſtamento, in quo filius eſt præteritus? Aff: per ea, quæ dixi in d. diſp. theſ. 1. An cauſa præteritionis

nis

nis vel exheredationis non expressa, vel expressa quidem, sed per heredem non probata, testamentum nullum sit, & similes quaestiones huc pertinentes facile est decidere ex *antecedentib.* & *d. disp. ad h. t. Inst.* Adde *Treutl. d. disp. 11. thes. 1. & ibi Bacchov. Bus. ad rubr. b. t. Fachin. 4. c. 9. & seqq. Lib. 5. c. 71. & seq. Lib. 6. c. 76. & seqq. Lib. 10. c. 41. & seqq. Lib. 13. c. 68.*

## VII.

*Ad l. 1. tit. 3.* quaeritur, an testamentum prius revocetur per posterius ipso jure, licet clausulam contineat derogatoriam vel juratoriam? *Aff:* per ea, quae dixi *ad §. 2. Inst. h. t. disp. 10. thes. 14. & 15.* Sed intelligiturne revocatum, si simpliciter testator coram testibus dixerit, se nolle primum testamentum valere? *Neg.* per ea, quae dixi *d. disp. ad d. §. 2. thes. 17.* *Diff.* vide *ibid.* & apud *Treutl. d. disp. 10. thes. 7. lit. b. & ibi Bacchov. Bus. ad l. 2. h. t. n. 7.*

*Ad l. 2.* quaeritur, an testamentum imperfectum posterius, in quo instituti sunt heredes ab intest. revocet primum perfectum, si in eo non tantum extranei instituti sunt, sed & filius prateritus? Dixi jam testamentum nullum esse, & ne quidem propter clausulam codicillarem facti in fideicommissum. Deinde haec quaestio, ut & illa de substitutione in codicillis revocata usum non habet. *Groenevveg. ad l. 21. §. 3. C. de testam.* Vide tamen, si lubet *Bus. ad d. l. 2. Treutl. d. thes. 7. lit. c. & ibi Bacchov.* Itaque frustra quoque queritur, an *d. l. 2.* procedat, licet non omnes heredes ab intestat. instituti sint. Vide tamen *Bus. ad d. l. 2. n. 2.* Sed quid, si in posteriori testamento institutio ad pias causas facta sit? Non tamen revocat primum perfectum, nisi factum sit coram duobus vel tribus testibus, licet ex illis nullus Secretarius vel Notarius fuerit, qui etiam non potest requiri, nisi sub poena pecuniaria, vel alia simili, ut alibi dixi latius. Vide *Bus. ad d. l. 2.* An & quomodo revocat testamentum militis aliud testamentum commune vel aliud militare, paternum aliud paternum vel commune, dixi in *d. disp. thes. 16.* *Diff.* vide *ibid.* & apud *Bus. ad d. l. 2. Groenevveg. ad Anth. hoc int. lib. C. de testam.*



*flam. Treutl. d. disp. 10. thes. 6. lit. b. & ibi Bacchov. & disp. nost. ad l. 20. §. 3. sam. ercise. Zoef. ad tit. 1. huj. Lib. 28.*

### VIII.

Ad l. 3. quæritur, an posthumus ignoranter præteritus ita rumpat testamentum, ut nec propter clausulam codicillarem fideicommissio intelligatur gravatus? Aff: per ea, quæ dixi ad §. 1. tit. 17. *Inst. Lib. 2. d. disp. thes. 13.* Diss. vide *ibid.* & apud *Treutl. d. disp. 10. thes. 7. lit. a. & ibi Bacchov.*

Ad l. 6. quæritur, an filio iuste exheredato nepostamen præteritus testamentum infirmare possit? Aff: non tantum de jure novo, sed etiam de veteri, per ea, quæ dixi ad d. §. 2. & §. 5. *Inst. de exhered. lib. thes. 8. An pr. d. l. 6. in fin. corrigatur per Nov. 118. vide in disp. Inst. 14. thes. 5.*

Ad l. 17. quæritur, an testamentum ex æquo & bono conualescat si filius præteritus ei adquirecat, siue extranei, siue heredes ab intest. instituti sunt? Aff: per d. l. ubi ratio generalis subjungitur. Diss. vide apud *Treutl. d. disp. 11. thes. 1. lit. c.* Potestne ergo filius efficaciter consentire in exheredationem vel præteritionem? Aff: per ea, quæ dixi in *disp. ad tit. Inst. de inoff. testam. thes. 6.* Diss. vide *ibid.* & apud *Treutl. d. thes. 1. lit. c.*

Ad l. ult. an nostratium testamenta nuncupativis annumeranda sint, & an cancellatione vel detractione sigillorum revocata censeantur, vide in d. disp. 10. thes. ult. Diss. vide *ibid.* & apud *Bacchov. ad Treutl. d. disp. 10. thes. 7. lit. b.* An conjux altero mortuo testamentum pro sua parte revocare possit? An voluntate unius mutata, etiam alterius mutata censeatur, an testamentum consensu alterius super bonis ejus conditum, mortuo eo ab altero revocari possit, vide apud *Jacob. Coren. obs. 11. Zoef. ad h. t. n. 22. & seqq.*

### IX.

Ad l. 2. 3. & 4. tit. 4. quæritur, an heredis inducti portio fisco applicari possit? Neg: d. l. 2. ubi de fisco nulla mentio, sed potius dicitur, reliquam partem testamenti nihilominus valere, atque adeo portio deleti heredis ceteris accre-  
scere



fecere *arg. l. 7. de R.I.* Moribus dicta portio ad heredes ab intest.  
deolveret, ut latius dicam ad *tit. seq.* Quod Moribus non ap-  
plicetur filco, etiamsi heredi tanquam indigno auferatur, aper-  
tius demonstrabo ad *tit. de his quib. ut indign.* Diss. vide apud  
*Bus. ad d. l. 2.* An in *d. l. 2.* pro *institutus* legendum sit *substitu-*  
*tus* jam nihil attendo. Nam Moribus absque dubio nomine he-  
redis inducto, sit locus substituto non inducto, excluso quoque  
herede legitimo. Sed præsumiturne nomen heredis tanquam  
indigni deletum? Sed frustra, propter rationem, quam modo al-  
legavi. Sed de jure Romano exercitii gratia disputo, quod lubet.  
Diss. vide apud *Bus. ad d. l. 2. Barto. Bald. ad eand.* Sed quid de  
legatis, si deleto alicujus heredis nomine, portio ad heredem  
legitimum descendat? Ea solvet heres ab intest. *arg. d. l. 3. h. t.*  
Sed secus forsan est, quando totum testamentum testator revo-  
care voluit, *Zoes. ad d. h. t. in fin.* Alias quæstiunculas ad *h. t.*  
vi quadam retractas vide apud *Bart. & in addit.*

F I N I S.



